


*Op. 46.*







12  
DAVIDIS GE  
ORGII HOLAN  
DI HÆRESIARCHÆ  
*vita & Doctrina. Quandiu Basileæ  
fuit: tum quid post eius mortem, cum  
cadauere, libris, ac reliqua eius  
familia actum sit.*

PER RECTO  
REM ET ACADEMI  
*am Basilien. in gratiam Amplif  
simi Senatus eius vrbis  
conscripta.*

VVITTEBERGÆ  
*Excudebant Hæredes Geo  
orgij Rhauu.*

1 5 5 9.

Op. 46.

DAVIDIS GE  
ORGI HODAN  
DI HERESINACHA  
Dita & Doctrina. Quando Basilea  
fuit: cum quid post eius mortem, cum  
cadaveris, hinc, ac reliqua eius  
familia actum sit.

**KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE**

PEP  
REM  
an Ba  
sua  
conscripta.

VNTTERROR  
Beschreibung Harde's Ge  
orgij Rhann.

1 5 5 9

Handwritten marks or signatures at the bottom right corner.



AD AMPLISS.  
CHRISTIANA  
QUE PROFESSIONE  
Clariss. Coss. & Reipub. Basiliensis  
Senatum, Dominos nostros cle-  
mentiss. Rector & Aca-  
demia Basiliensis.



I, QVOD SO-  
crates optasse vide-  
tur, Amplissimi viri,  
hominum pectora es-  
sent aperta: aut ita  
facta, vt quemadmodum in vitreo  
globo, si quid inclusum sit, ac si inclu-  
sum non esset, ab omnibus cernitur:  
nullis imposturis, nullis fucis, et dolis,  
ne simplicissimi quidem homines cir-  
cumueniri possent. Nam, si ita esset,  
omnes animorum habitus, siue boni  
siue mali: tam digni laude quam vitu-

A 2

perati

Præfatio.

peratione, statim abs quouis perspicerentur. Atque in hunc modum, neque improbis laudes præmiarumque bonorum: neque bonis ignominia, pœnæque malorum: quod sæpenumero etiam ab æquissimis iudicibus accidit, statuerentur.

Verum, secus humani generis auctori atque parenti Sapientissimo visum est: ut in hominibus prudentia, quæ longo usu rerum malarum ac bonorum, coniecturisque colligitur, locum haberet: & hoc, vni sibi reseruaret: videlicet, intimos mortalium sensus peruidendi: atque, ut vates loquitur, corda renesque scrutandi: hominibus autem inter se, prauum, ut idem vates ait, & inscrutabile, cor hominis esset. Quod autem in hac vita interdum



## Præfatio.

dum & bonis male, & malis bene sit, id altissimo Dei Sapientissimi consilio fit: ut ipsum metuamus: ab ipsoq̄, non à nostra prudentia pendeamus: qui hæc omnia temperat, & ab hominum insidijs, si ei ita videatur, tueri, et uereq̄ potest solus: utq̄ cogitaremus futurum aliquando iudicium, in quo omnia aperta forent: omnibusq̄ merces factis condigna tribuenda sit: ita ut bonis bene & malis male: cum illi ad beatam vitam, hi ad sempiternas misérias, Iesu Christo, cui pater omne iudicium dedit, sedente transferentur. Quamobrem, prudentissimè à vobis factum est, Magnificentiss. Domini, quum placere uobis significantis, ut Davidis Georgij mores, vitam, mortem, & quæ post eius mortem acta sunt, colligeremus: ut quan-

## Præfatio.

do hominum pectora, quod Socratem optasse diximus, fenestra non sunt, huiusmodi exemplis mortalium animi ipsi si fierent perspicaciores, attentiusque aduigilarent, ne mala pro bonis: et contra pro malis bona, specie aliqua falsi deceptique probarent, & agnoscerent. Votis uestris annuimus, Amplissimi viri, & quod vestrae pietati placere intelleximus, dedimus operam quantum in nobis fuit, ut perficeretur. Itaque, ab aduentu eius hominis in hanc urbem, usque ad huius tragediæ exitum, quicquid potuimus, utileque putauimus, breuissima narratione complexi sumus. Vos autem, vestra diuina sapientia iudicabitis, an omnia ex vestra sententia perspicacique iudicio executi simus. Voluimus quidem sed quantum præstiterimus, vestrum erit iudicare.

Davidis

# DAVIDIS GEORGI ORGII HISTORIA.

**D**AVID GEORGIUS, qui se postea Iohannem à Bruck uoluit appellari, Delphis, quod est Batanorum oppidum in Hollandia, natus esse fertur. Is cum quadragesimum fere ætatis suæ annum in Germania illa inferiore, sectæ suæ annos aliquot princeps egisset, anno Christi 1544. Cal. Aprilis Basileam cum aliquot comitibus uenit. Ibi de toto Ciuitatis statu edoctus, (sciscitatus enim à quibusdam diligenter erat) singulisq; perspectis, laudare summopere & commendare cœpit: suas calamitates prædicare: se patrijs sedibus Euangelij causa profugum esse: nusquam tutum locum inuenire: cupere se Basileæ quasi in tutissimo portu, familiam suam satis copiosam omnesq; fortunas

A 4 colloca

DAVIDIS GEORGII

collocare. Quibus uerbis cum sibi iam aliquorum animos conciliaffet: tum ad senatum supplex accessit: petiuitque, ut Christi Iesu atque eius Euangelij causa, in ciuitatem reciperetur. Quod si facerent, scirent Deum huius hospitalitatis rationem habiturum: se praeterea paratos fore pro ciuitatis Reique publicae salute & commodis, non modo fortunas, uerum etiam uitam ipsam impendere. Hac oratione miserabili, atque ut uidebatur, æquissima, pius & ad hospitalitatem propensus Senatus, commotus, respondit: se bonis, honestis, & pijs uiris qui syncerae religionis causa, ad se uenirent, nolle ciuitatem suam denegare. Itaque facere ipsis potestatem, quandocumque eis uideretur, Basileam commigrandi, suosque adducendi. Quid enim faceret? Erat homini dignitas quaedam, & species liberalis, qualis esse probis uiris solet: corpus quadratum, barba flaua, oculi

## *Hollandi Historia.*

oculi glauci & micantes, sermo grauis  
& sedatus: totius corporis, motus, sta-  
tus, incessus decens, & ad omnem ( ut  
uidebatur ) probitatem compositus.  
Accedebat eius & comitum ornatus,  
quodam cum splendore moderatus.  
In summa, magnum aliquem & ho-  
nestum uirum, apertum, & candidum  
diceres: tam appositè omnia inter se  
consentiebant: causa, persona, sermo:  
animus ipse alto in recessu latebat: an-  
teacta uita ignorabatur: patria procul  
erat: quæ narrabat, uerisimilia esse ap-  
parebat, præsertim cum quæ sibi acci-  
disse dicebat, eadem multis alijs bonis  
& notis uiris, quotidie accidere, con-  
staret. Senatus igitur & ciuium opti-  
morum uoluntate perspecta, eiusdem  
anni 8. Cal. Sept. adest Ioannes à Bruck  
( sic enim diximus se tunc appellari uo-  
luisse, qui in secta David Georgius di-  
ceretur ) cum satis numerosa familia,  
uxore, liberis, clientibus, & seruis, re-

A 5

liquor

## Davidis Georgij

liquoq; comitatu : Sacramento de mo-  
re obstricti, in ciuitatem recipiuntur :  
quo facto, domicilium in urbe, extra  
urbem arcem & prædia quædam opi-  
ma coemere : connubia contrahere :  
amicos humanitate, affabilitate, alijsq;  
rebus sibi cõparare : magistratum co-  
lere: in ciuium consuetudinem, qua  
possent sese insinuare : nihil non face-  
re, quo boni & religiosi uiri uideren-  
tur. Nam quamdiu quidem ipse Basiliæ  
uixit, ita secum suis, omnium ocu-  
lis auribusq; ciuium probare conatus  
est, religionis ritus seruando & obeun-  
do, egenis benefaciendo, ægros con-  
solando, calamitosos subleuando, reli-  
quaq; huiusmodi officia præstando, ut  
nemo de eis sinistri quicquam suspicari  
posse uideretur. His igitur artibus, faci-  
le fuit homini callido & uastro, atq; in  
omnem partem intentissimo, multo-  
rum animos sibi conciliare, efficereq;  
ut talis ac tantus à plerisq; crederetur,  
qualis

## *Hollandi Historia.*

qualis & quantus uideri uolebat, atq; à suis habebatur.

Hanc falsam de eo opinionem multum & sustentabant et augebant, magnus auri numerus, & preciosæ res, quas secum aduexerat, quotidieq; ex inferiore Germania apportabantur: præterea regalis propè apparatus & splendor, & rei familiaris magnifica quidem illa, sed composita et tranquilla administratio. Sic namq; erant singulis officia in tam ampla familia distributa, operæq; ut singuli quid sibi agendum esset, scirent: nec quisquam ultra uires, & præter uoluntatem ad aliquid obeundum faciendumue cogebatur. Dum ita uiuerent, remq; suam cõmunem administrarent, quo magis inanisque sectam suam perniciosissimam cælerent, ac tegerent, tria sibi perpetuo seruanda proposuere: primum ne Dauidis Georgij nomen quisquã proderet in uulgus: deinde, cuius nam in patria

## Davidis Georgij

in patria conditionis extitisset : hinc factum est, ut alij eum quempiam claro genere uirum existimarent : alij magnum aliquem mercatorem qui terra maricq; per quosdam suos procuratores negotiaretur, ex quo ei tantæ opes prouenirent : alij alia de eo opinarentur : cùm nihil certi uel ab ipso, uel à suis familiaribus & domesticis sciri cognoscicq; posset. Postremo, illud summo opere cauerent, ne dogma suum apud quenquam Basiliensem, sed ne Heluetium quidem ullum, effutirent : aut ad sectam suam pellicere tentarent. In quo nobis uidetur uir ille Martes Mustelasue imitatus, quas ferunt, eorum parcere gallinis, quorum utantur hospitio : hanc nimirum gratiam suis hospitibus referentes : nisi potius ea de causa abstinent, quo tutius habitent, habeantq; latibula, ad quæ sese, cum alijs nocuerint, recipiant. Sic iste suam sectam in Germania inferiore, alijsq; longe



## *Hollandi Historia.*

longe semotis locis, literis, libris, & nuncijs fouere; atq; augere non cessabat: Heluetios non tentabat, ne si fecisset, aliqua ratione proderetur. Nam cum annos circiter undecim hic in summo uixerit ocio, ne unus quidem iuuentus est, illius implicitus secta: aut ullo eius errore imbutus: tam alto omnia sua silentio potuit occultare. Verum, qui alienorum iudicia tantopere uitare studuit, domesticorum subterfugere non potuit. Nam fuerunt inter eius familiares & affines, qui de ipsius doctrina & secta ambigere coeperunt. Quod cum ad aures eius peruenisset, unum ex eis quem antesignanum semper existimauerat: cuiq; ob fidem singularem aliasq; dotes multum tribuebat, accersit: quem, ubi in conspectum eius uenisset, non sine stomacho rogat: quid illi in mentem uenerit, ut de re compertissima incipiat dubitare? An non persuasum habeat, se uerum

## Davidis Georgij

uerum illum esse Dauidem à Deo missum, ut extremis hisce temporibus regnum Israëlis restituat; Iacobiq; tabernaculum instauret; atq; in hanc sententiam alia, quæ longum esset recensere. Hic ille, ut est uir eloquens, & animosus, nihil iam cælare, sed mentē suam aperire, aperteq; fateri, Israëlitici regni restitutionem, atq; alia quæ uates de Dauide & Christo prædixere, omnia per Iesum Christum esse perfecta; se alium nullum Messiam Christumue agnoscere, siue is Dauid, siue alio quouis nomine uocetur. Hoc ille tam aperto responso commotus, hominem indignabundus dimittit, diraminatus, ni ab illa peruersa opinione discederet. Id cū quidam ex propinquis uiderent, ueriti ne res in deterius abiret, à Domino impetrarunt, ut rursus ille ad amicum cōgressum admitteretur. Cōueniunt igitur in certum locum, ubi habebant amoenissimum

## *Hollandi Historia.*

num secessum: ibi de Dauidis Georgij doctrina & libris aliquandiu est disputatum, præsertim super opere quodam magno, quod Mirabilem opus appellatur, in quo capita ferè omnia peruersissimè dogmatis continentur. Verum diu altercando nihil plus effectum est, quàm ut ille diceret tandè, si quæ eo uolumine complexus sit, quæ difficiliora atq; altiora uideantur, quàm ut abs quo uis intelligi queant: Deo, à quo essent profecta, cõmittenda; atq; illinc ita discessum est, ut sua cuiq; salua religione conquiescerent. Sunt qui affirmant, illum qui eius dogma in dubium uocare ausus esset, ab eo congressu, à reliquorum consortio, & familia, ob pertinaciam exclusum fuisse: nec ullam postea cum Dauidicis consuetudinè habuisse: quin etiam ipsum literis absentes, & suscepta peregrinatione, multos monuisse, eis errores indicasse ut sese à perniciosissima secta quàm primùm liberarent:

## Davidis Georgij

liberarent; & ad uerum Christum Iesum nimirum Dei & Mariæ uirginis clementissimum filium, redirent. Hæc autem eius tam coniuncti uiri uxori ab eo defectio, primum mutatae fortunæ signum haberi potuit. Secuta sunt & alia eius non modo inclinatae, uerum etiam instantis mortis prodigia. Nam & domus una ( binas enim ædes in urbe habent ) Basileæ fulmine tacta est; itemq; altera quam in pascuis magnificè extruxerat, cum preciosa suppellectile conflagrauit; non multo etiam post, Domus in qua ipse habitabat tabulatum repente concidit: Sed nihil ei accidisse grauius ferunt, quàm quod ex inferiore Germania Basileam uenisse quendam uirum fide atq; auctoritate præstantem, qui ciuibus quibusdam Basiliensibus, Davidem ipsum totamque eius familiam descripsisset, unde facile se prodi paulatim uir acutus cognouit. Hoc audito nuncio  
primum

## Hollandi Historia.

primùm eius uxor, mox ipse quoq; in  
morbum inciderunt: ex quo prius ipse  
suis coniunx, interijt, non multo post  
& ipse, qui se Christo Iesu diuiniorum  
maiores fecerat, & immortalem,  
mortuus est, anno salutis Christianæ  
1556. octauo Cal. Septembris, atq;  
solito Ciuitatis more, atq; pro ea, quam  
tunc gerebat, persona, honorificè in  
Diui Leonhardi æde sepultus. Funus  
secuti sunt eius filij, filia, nurus, generi,  
clientes, & cerui cum ciuium utriusq;  
sexus multitudine. Atq; ita tandem  
Deus opt. Max. non modo hanc ciui-  
tatem, uerum etiam ecclesiam suam totam,  
hoc monstro extincto, & paulo  
post etiam, ( ut dicemus ) patefacto, li-  
berauit. Illius morte ualde perculsi  
sunt eius discipulorum animi, qui eum  
nunquam moriturum existimabant.  
Quanquam eorum spes sustentaba-  
tur, quod ab eo dictum ferunt, se  
trium annorum spacio, reuicturum:  
B                      eaq;

## Davidis Georgij

eaque perfecturum quæ tam amplis promissis, responderent. Eiusdem quoque interitu, eorum confirmata sententia est, qui iam antea illius dogmata non modo suspecta habere, uerum etiam explodere paulatim & refutare coeperant. Itaque uehementius instant, ut & alij eadem diligentius expendant, & excutiant, ut quæ cum filij Dei doctrina & oraculis certissimis non consentire uiderent, ea cum ipsis exploderent, ac detestarentur. Quæ adhortatio, à quibusdam (erant enim inter eos qui Davidica illa non planè intelligerent, nec latens uenenum persentiscerent) nec recepta omnino, nec reiecta est, qui dicerent se eius rei diligentiore cogitationem in aliud commodius tempus reijcere. Coeperat interea fama mutati nominis (de quo antea dixi) & suspectæ religionis, quæ ad id usque temporis uisa erat intra priuatos parietes delitescere, latius euagari, atque  
inter

## Hollandi Historia.

inter doctos uiros dissipari, & paulatim ita augeri, ut plerique, eum qui se falso Ioannem à Bruck, & ab arce quam Basileæ emerat, Ioannem à Binningen, appellabat, Dauidem Georgium illum esse impostorem perniciosissimum, sectæ omnium quæ unquam fuerint, peruersissimæ autorem, & principem, qui se regem, & Christum, magna atq; inexpiabili ueri Christi contumelia, faceret.

Hac fama atq; huiusmodi sermonibus Senatus Basiliensis pietate & prudentia singulari, admonitus, sibi non cunctandum esse putauit, quare pro Dei & Christi filij ipsius IESV Christi gloria & maiestate asserenda, consultationem grauissimam suscipit. Existimabant enim homines prudentes, rumoribus non esse temere credendum, sed de tanta re, certis testimonijs, indicatijs &

B 2

argua

## Davidis Georgij

argumentis, atq; adeo ipsorum Davidicorum confessione, esse cognoscendum. Itaq; 4. Idus Martij, anno Christi Seruatoris 1559. Ioannis à Binningen iam mortui, filij, generi, & quotquot erant uirilis sexus, in tota familia, quidam etiam extra familiam clientes & amici, iussu magistratus, in curiam se ipsos sistere iubentur, parent illi. Quos, ubi in Senatum sunt omnes simul intromissi, sic Tribunus Pl. est allocutus, ut diceret, eos non ignorare, quemadmodum ante annos aliquot ex inferiore Germania uenissent: asserentes se Euangelij Dei causa patria pulsos esse, atq; idcirco supplices rogasse, ut eos Senatus pro sua clementia in ciuitatem recipere dignaretur, quorum precibus, cum fidem Senatus haberet, misericordia uehementer affectus, eos humaniter receperit, & collegerit. Verum nunc magistratum satis intellexisse, & ex parte etiam  
nunc



## Hollandi Historia.

nunc compertum habere, eos aliam ob causam, nimirum propter Sectam Dauidicam, qua tunc impliciti essent, & nunc etiam sint, huc se recepisse: quam ita dissimulauerint semper, ut in specie, non alicuius Sectæ, sed ueræ Iesu Christi religionis esse uiderentur. Hoc exordio præmisso, interrogat eos, an Ioannes à Bruck esset uerum eius uiri nomen, quod ueniens primùm dederat ciuitati.

Nam quod Ioannes à Binnigen postea uocatus fuerit, cum sit nouum, uerum & antiquum eius nomen esse non posse. Deinde, an unquam siue priuatim, siue publicè, docuerit: & quæ eius doctrina quæue institutio fuerit. Adhortatusq; est eos pius Senatus, ut quicquid illud esset fateri non uererentur, se paternè cum eis acturum. Ad hæc Senatus rogata, respondent, quidam quod uenientes, dixerint,

## Davidis Georgij

runt, se propter ueritatem patria profugos huc uenisse, quo libere possent in uera religione uiuere, id uerum esse, quod autem obijceretur, propriam eos sectam & religionem habere, id uerum non esse: Itaque sperare se, clementem Magistratum hac responsione fore contentum: idque se ab eo petere, atque obsecrare, Sin uerò aliud quippiam eos agere uelit, rogare se, ut ex Dei uerbo, quid illud sit, præscribat. Fuere etiam qui responderent, se propter Euangelicam, cuiusmodi hic est suggestu audiretur, & quæ Apostolico symbolo contineretur, nullam aliam religionem tenere. Quod autem ad Domini sui nomen attinet, se nullum aliud eius uiri nomen nosse, quam quo hic palam uocaretur, quod à patria, ubi ille natus erat, accepisset. An autem unquam clam palamue nocuisset, se ignorare, nisi quod inter suos domi cohortandi magis & admonendi, quam docendi

## *Hollandi Historia.*

docendi causa interdum, aliqua dice-  
ret. Ea uerò non alia esse, quàm quæ  
in templis à concionatoribus traderen-  
tur. Solitum namq; fuisse illos hortari,  
ut ad conciones sacras & publicas dili-  
genter adirent, utq; innocentia inte-  
gritatisq; studerent. Hæc cum audisset  
Senatus, eos paulisper secedere iubet :  
paulo antè post, singulos reuocat, &  
rursum pro se, singulos audit : Sed  
cum uideret, eos in sententia persistere  
nec paternis admonitionibus se quic-  
quam efficere, iussit omnes ( undecim  
enim erant ) è curia in carceres abdu-  
ci, atq; in uinculis haberi, donec meli-  
us de tota causa cognosceretur. Interea  
Senatus undiq; argumenta & signa  
conquirere, quibus sperat ad ueri con-  
fessionem eos adduci posse, & quo-  
niam scripta non parum momen-  
ti in huiusmodi rebus habere ius-  
re censetur, Senatus ad hoc ido-  
neos delegit qui scripta diligenter

## Davidis Georgij

inquirant : atq; inuenta in Curiam illi-  
co comportari curent : & singulis scri-  
bas comites attribuit , qui omnia quæ  
exportarentur monumenta , in tabu-  
lis notarent. Hi ergò eodem tem-  
pore diuersi ad omnia eorum domici-  
lia ( nam diuersis in locis habitabant ,  
etiã ad unum locum arcem nimis-  
rum Binningensem , ubi Dominus  
ipse consuevit habitare , receptum ha-  
berent ) de improviso eunt : inqui-  
runt : magnum librorum & literarum  
cumulum auferunt , cum imagine  
ipsius , quæ eo uiuo depicta fuerat.  
Quæ omnia Senatus delectis ex The-  
ologorum & Iurisconsultorum uiris  
eruditis & probis diligen-ter inspicien-  
da atq; excutienda tradit : ut quicquid  
ad religionem spectare uiderent , se-  
cernant : & in his , si quid sacrosanctæ  
receptæq; religioni aduersari compe-  
rerint , aut alioqui suspectum , diligen-  
ter notent : atq; ad Senatum referant.  
Munus

## *Hollandi Historia.*

Munus demandatum obeunt summa cura & attentione, delecti uiri atq; ad Senatum quæ inuenere Davidica referunt, quibus Senatus instructus, ulterius progreditur, ac pro Reipublicæ Basiliensis more, septem uiros rerum capitalium ad eos mittit, qui ab eis aliquam confessionem elicere aut etiam exrorquere, si opus sit, conentur. Ab his summa uerborum seueritate interrogati rei, plerique eorum idem quod Senatui responderant, & hic respondent. Verum cum quidam inter eos in sua responsione uisi essent nonnihil titubare, exquisitori quæstioni locum dederunt. Quare iterum conquisiti, cœperunt quidam fateri, qui Ioannes à Bruck siue à Binningen diceretur, eum Dauidem illum Georgium fuisse, cuius nomine tot & tantæ turbæ in Germania inferiore fuissent excitatæ. De doctrina uerò & sectæ decretis quibusdam

B 5 dam

## Davidis Georgij

dam propositis capitibus interrogati, responderunt, se talia ab eo nunquam audiuisse, nec in eius scriptis animadvertisse, aut eo modo intellexisse. Cæterum, se huiusmodi doctrinam, cuiusmodi illis capitibus contineretur, tanquam perniciosam & ab inferis excitatam, non è cœlo demissam, detestari, & omnibus modis execrari. Quod si aliquo modo tamen errarint, uel nunc etiam errent, ueniam deprecari, cupereque in quo errent, rectius institui.

In his tamen unus fuit inter primos Davidis Georgij amicos, cuius nomini parcendum esse ducimus, qui se aliquando eius sectæ fuisse ingenuè confessus est, uerum agnitum errorem diuino beneficio, olim iam damnasse, & nunc quoque damnare, atque ex animo tanquam pestiferum, una cum tota secta, detestari.

Fuerunt

## Hollandi Historia.

Fuerunt etiam inter eos, qui eum  
Dauidem Georgium tantum Basileæ  
nouissent, sanctè affirmabant se nun-  
quam talia ab eo audiuisse: & hi quoque  
dogma quod proponebatur tanquam  
impium atque in Christum Iesum con-  
tumeliosum reijciebant. Hæc ad se-  
natum semper uiri illi Quæsitores,  
singula distinctè ut erant, referunt.  
Senatus ergò audiens, esse inter eos,  
qui, si errent, culpam deprecentur,  
atque ad sanitatem redire cupiant, cer-  
tos ex concionatorum & Theologo-  
rum ordine mittit ad carceres, à quibus  
singulorum fides diligenter explo-  
retur. Quod, si quid erroris in quibus-  
dam reperirent, id syncera institutione  
tollere omnibus modis conarentur.  
Adeunt uiri pii, & Christiana leni-  
tate pleni, uiros captiuos: & coram  
duobus de Senatu ad hoc destina-  
tis, cum eis accuratè & amanter  
de fide & religione agunt: rogant,  
audia

## Davidis Georgij

audiunt, nihil aliud auditum est, quàm quod auditum erat, cum à septem uiris conquirerentur, se uidelicet illud dogma, eod certis capitibus comprehensum, tanquàm Davidis Georgij iuuentum, proponebatur, tanquàm à syncera Iesu Christi religione alienum, damnare, & eam doctrinæ formulam, quæ Basileæ traditur, sanctiq; Symboli Apostolici fidem, syncera animi persuasione complecti. Idem quoq; cum mulieribus eiusdem familiæ omnibus fieri uoluit pius Senatus.

Verebatur enim ne & illæ aliquo errore irretitæ tenerentur, quas pro sua pietate, atq; paterna in omnes sollicitudine, in uiam reduci cupiebat. Adeunt igitur illas cum selectis uiris concionatores ac Theologi, quæ singulæ eadem ferè attestazione usæ sunt, qua uiri, nimirum se nihil tale, quale proponebatur, nec ab ipso Davide

uide



## *Hollandi Historia.*

uide Georgio, nec ab alijs unquam accepisse, se autem simpliciter in ea fide perstare, quam Basileæ in publicis concionibus didicissent. Addunt presces, quibus & se & uiros & fratres suos profluentibus etiam lachrymis, commendent, Senatū orent, cum ipsis pro solita clementia agere uelit.

Interea temporis, rumor in Ciuitate percrebuit, Ioannem à Bruck siue Dauidem illum Georgium in sepulchrum elatum non esse, uerum pro eius cadauere, porcum, aut uitulum, aut hircum, quidpiamue aliud feretro inclusum fuisse.

Verum autem ipsius cadauer, conditum occultari ab hæredibus & singulari ueneratione coli. Sed falso eam excitatam fuisse famam, postmodum re ipsa, sicut mox patebit, comprobatum est. His rebus, uti retulimus, peractis, nihil aliud expectabatur, quam extremus iudicij actus.

Erat

## Davidis Georgij

Erat enim ciuitas tota huiusse expectatione iudicij suspensa. Hoc uidens Senatus, rem maturare cogitauit, Itaque, ne quid temere facere uideretur, atque ut, quantum in ipso erat, hominum calumnias euitaret, cum Besileæ non sit contemnendus eruditorum & piorum uirorum numerus, quæ Davidicæ doctrinæ capita quædam à delectis uiris (ut antea diximus) collecta erant, ea Academiæ & concionatoribus censenda, per Scholarchas proponit, qui sexto Calen. Martias, conuocato per Rectorem Academiæ consilio unâ cum Concionatoribus omnibus, in Collegium ueniunt, & super singulis capitibus, singulorum iudicium sententiamque exquirunt. Illi, singulis accuratè auditis, lectis, & expensis, uno ore atque una uoce pronunciant, quæ illis capitibus proponerentur, ea esse à recta fide Christi aliena, sacrosanctis literis prorsus aduersa,

## *Hollandi Historia.*

uerfa, pernicioſa, contumelioſa, in  
DEI & Ieſu Chriſti maieltatem, atq;  
à tota Chriſti Ieſu Republica exterminanda.

Quod cùm Senatus intellexiſſet,  
de captiuis primùm agere conſtituit,  
poſt, de ipſo ſeducatore. Ergò, quan-  
do quidem uidet captiuos partim nihil  
apertè confiteri, quod dicerent, ſe eius  
dogmatis ignaros eſſe, partim in uiam  
rediſſe, omnes autem una uoce Dauia  
dicam hæreſin deteſtari, Quinto idus  
Maij omnes è cuſtodia in qua iam al-  
terum ferè egerunt menſem eximi ac  
dimitti decreuit, ea tamen lege, pri-  
mum ne qua in poſterum extra urbis  
mœnia bona, & poſſeſſiones coe-  
mant ſine Senatus conſenſu & auto-  
ritate, peregrinos nullos ex infe-  
riore Germania hoſpitio accipiant,  
ne conſanguineos quidem, ſed ſi  
qui uenerint, ad publica diuerſoria  
mittant.

## Davidis Georgij

mittant. Dauidicos libros omnes siue  
typis siue manu scriptos, qui ullo mo-  
do Dauidicum fermentum redoleant,  
quos apud se habeant, mox domum  
reuerſi, in curiam ferant, librum nul-  
lum lingua Batanica conſcriptum,  
apud ſe retineant, habeantue, nihil  
ueræ ac receptæ in publicis Eccleſijs  
noſtris religioni contrarium unquam  
ſcribant. Liberos ſui nulli præterea  
niſi Baſilienſi ſcholæ, erudiendos tra-  
dant, cum nullo nullaue ex inferiori  
re Germania, qui quidem nunc in  
eorum ſunt familia, connubia contra-  
hant. Familiam præterquam ex hac  
regione acceptam, nullam domi in  
prædijsue, habeant. Multam pecu-  
nariam, ſi quam Senatus irrogaue-  
rit ( id quod optimo iure poteſt )  
pendant, & perſoluant. Ac demum,  
ſe cum mulieribus, & familia reliqua  
certo die in ſummo urbis templo, ſi-  
ſtant, ibique coram Eccleſia, ueram  
Christi

## *Hollandi Historia.*

Christi Iesu religionem confiteantur, atq; ex aduerso, Davidis Georgij sectam uniuersam, eiusq; decreta distinctè damnent, ac detestentur, ita ut cum eius sectæ hominibus nullam in posterum communionem, aut familiaritatem habeant. In his omnibus, atq; alijs honestis & licitis obsequentes se præbeant, & ut bonos ciues decet, se ubiq; gerant. Hæc illi se præstituros esse, religiosè, promittunt, gratias multas prudentissimo Senatui agentes submitte pro collato clementer in se beneficio, atq; ita domos quisq; suas ire permittunt. Biduo post, quæ dies fuit eiusdem anni tertia Idus Maij, iudices rerum capitalium, de Davidis Georgij cadauere, in sepulchro existente libris, & reliquis ad eum pertinentibus in arcam productis, extremum iudicium instituunt. Itaq; ubi iudices consedere, qui fisci nomine causam agebat, ita accusationem aduersus eum intendit, ut

C

primum

## Davidis Georgij

primum obiiceret, eius in urbem hanc aduentum euangelij prætextu, cum tamen ob suam perniciosam ac turbulensam sectam, doctrinamque ex inferiore Germania profugisset, ob quam non parua multitudo utriusque sexus, tum etiam propria eius mater uita multati fuerant, tum totius temporis quo hic fuit, simulationem uerae religionis: tametsi clam ibidem suam sectam, editis etiam libris qui coram essent, fouerent, eorum qui etiam num Davidici uocentur. Ad hæc mutati nominis crimen, ut qui David Georgius antea uocatur, postquam huc migrasset, Ioannes à Bruck, palam uoluerit appellari. Atque ita recitatis aliquot, eius peruersi dogmatis, locis, quibus summa ferè eius doctrinae continebatur, quos iussu Magistratus antea collectos diximus, atque ab Academia uniuersa condemnatos, petijt Actor, ut de eius dogmate iudices, quid iure agendum censerent,

## *Hollandi Historia.*

serent, pronunciare uellent. Ad hanc Actoris postulationem, Iudices censuerunt eius scripta omnia ubicunq; inuenirentur, eiusq; dogmata, tanquam in diuinam maiestatem impia, & pestifera, ut sunt, flammis absumenda esse. Hanc ubilatam sententiam audiuit accusator, postulauit secundo loco, quid de eius imagine, domi eius inuenta, quæ hominem ad uiuum mirifice exprimeret, deq; eiusdem cadauere, quod in Diui Leonhardi inter Christianorum corpora conditum esset, faciendum statueret, presertim, cum nefas esset, tam impij seductoris, & totius uiolatae Sacrosanctæ religionis, rei, corpus in eo loco quiescere, ubi tantum, qui ueram Christi fidem confessi sunt, iure conquiescunt.

His auditis, Iudices de Dauidis Georgij imagine & cadauere ita decernunt, quoniam Dauid Georgius  
C 2                      pernīs

Davidis Georgij

perniciossimæ sectæ autor & fautor  
exstitisset, quicq; maiestatis diuinæ, &  
violatæ religionis Christianæ reus, ut  
eius cadauer, siue ossa, & quicquid res  
liquum in eius sepulchro fuerit, effodi-  
endum, extra portam lapideam in lo-  
cum ubi de condemnatis extremum  
supplicium sumitur, una cum libris &  
eius effigie in hasta alte, ut erat, suspen-  
sa, curruî imposita à Carnifice, trahan-  
tur, atq; omnia simul rogo imposita, in  
cineres redigantur, haud secus ac cum  
ipso Dauide Georgio ex Iure Cæsareo  
fieret, si ipse superstes esset. His dua-  
bus petitionibus, addit & tertiam Ac-  
cusator, quæ ad condemnati hominis  
bona pertineret. Itaq; hac postrema  
Accusatoris postulatione audita, cen-  
sent omnes, impij hominis bona, quæ-  
cunq; & ubicunq; sint, esse publican-  
da, atq; in ærarium publicum inferen-  
da. Hoc iudicio more Maiorum, om-  
niq; Cæsarei, & municipalis iuris for-  
ma



## *Hollandi Historia.*

ma seruata: proclamatum est: Si quis contra rectissimum hoc iudicium uerbo factouē ierit, is eodem iudicio, eademq; pœna tenetor. Atq; in hunc modum, Dauidis Georgij memoria in uniuersum damnata, atq; deleta est.

Mox currus cum libris, imagine, & effosso cadauere, in locum destinatum per Carnificem productus, & rogo impositus, ubi à carnifice locus lum solutum est, cadauer ipsum, ut erat, apparuit, quod carnifex humeris & capiti subiecta in latus tabulæ, ita erexit, ut ab omnibus, qui Dauidem uidissent uiuum, agnosci facile posset. nam satis adhuc integrum erat, præsertim barba, quæ ut erat flaua, satis hominem indicabat. Erat autem ornatus in hunc modum. In capite uillosum à serico pileum purpura suffultum habebat, & è rosmarino corollam, caput puluini non ignobiles fulciebant, ipse

## Davidis Georgij

undulata toga, quod camelotum uocant, uestitus, ac sindone munda inuolutus. Hoc enim modo illum haeredes sepeliendum adornarunt. Sic positus inter sua impia scripta, subiectis flammis, exustum est Davidis Georgij, qui se regem & Christum fecerat, corpus, biennio & sesqui ferè postquam est mortuus.

Ad hoc spectaculum tanta confluit mortalium utriusq; sexus multitudo, ut uix tanta in urbe tota esse crederetur, Permirum enim erat & nouum, hominem, qui tanta cum dignitate & uixisset apud eos, & sepultus esset, nunc ex ipsa terra effossum, ac publico iudicio maximè in Deum & Christum impietatis condemnatum, comburi. Fuit certè David Georgius, quod negari non potest, magno ingenio uir, licet sordis natus parentibus nimirum ( ut aiunt ) patre Ludione ipseq;

## *Hollandi Historia.*

ipseq; in prima ætate pingendi uitri artem sit sequutus, sed, ut nobilis historicus de Catilina scribit, malo prauoq; id quod ex eius scriptis plurimis, quæ sua, hoc est Hollandica lingua scripsit (nam latinæ linguæ & omnium aliarum nisi patriæ, prorsus fuit ignarus) qui intelligunt, uiderere possunt. Sed hoc uere magnis ingenijs, nisi uero Dei metu tanquam fræno cohibeantur, plerumq; solet accidere, ut dum alijs præstare uolunt, in maximos errores incidant, id quod omnibus ferè sectarum autoribus euenire uideamus.

Quare, saluberrimum est Diui Pauli consilium, ne uidelicet, animo elato nimis, simus, sed timeamus ne cum superbix parente illo, de cœlo deturbemur. Iam tempus est ut narrationis huius extremum actum, qui cum Dauidicis, in templo fuit, persequamur.

## Davidis Georgij

Ergò pridie nonas lunij, quatuor  
or urbis pastores in concione diem in-  
dicunt, 8. Idus lunij, quo die Davidici,  
sectam sint palam abiuraturi, & uer-  
ram Iesu Christi fidem doctrinamq;  
professuri. Erat autem non sine causa  
ea delecta dies, nam primùm ea est  
publicis totius ciuitatis ad Deum pre-  
cibus dicata; Deinde, pridie eius diei  
conuenerant uniuersi ex agro & ditio-  
ne Basiliensi pastores, ad synodum siue  
conuentum celebrandum, ubi de Ec-  
clesiarum disciplina agi solet, idq; fa-  
ctum quo plures tam celebris atq; piæ  
actionis postridie essent testes, pluresq;  
erudirentur.

Eo igitur die benè mane, con-  
fluit ex omnibus urbis regionibus  
multitudo tanta, ut uix amplissimo  
templo caperetur. Affuerunt etiam  
non postremi Davidici ipsi, uiri &  
mulieres omnes circiter triginta, una  
mulier defuit quæ propter aduersam  
ualetur

## *Hollandi Historia.*

ualetudinem partusq; uicinítatem, ad  
esse non potuit. Tum Ecclesiæ illius  
Basiliensis pastor, conscenso suggestu  
piam admodum & doctam concio-  
nem habuit, de bono pastore. Conci-  
one finita, & consuetis precibus, Psal-  
mus 130. canitur, mox pastor ipse se ad  
mensam, è qua Dominica cœna mini-  
strari solet, confert. Astat pastori ex se-  
natorio ordine primarius ecclesiasticæ  
disciplinæ censor, uir grauis & corda-  
tus, testis & moderator omnium quæ  
agerentur. Ibi pastor Dauidicos nomi-  
natim appellat, atq; adesse iubet, ut, an  
quisquam forte desit, recognoscat. Vbi  
autem uidet omnes, præter eam quam  
dixi mulierem, adesse, clara uoce, ut, à  
tanta multitudine exaudiri posset, sic  
actionem ipsam exorditur. Quod si  
omnium rerum agendarum exordia à  
diuini numinis precatatione ducenda  
sunt, quo eius auspicio cuncta rectè  
atq; ordine peragantur, multo magis

C 5

ad hoc

## Davidis Georgij

ad hoc tam serium & graue negotium, pijs atq; ardentibus uotis & precibus est pater ille cœlestis inuocandus, credendumq; ipsum quod tam sæpe promisit, nobis affuturum, & pias preces nostras auditurum, præsertim cum nomine Iesu Christi eius filij simus congregati. Oratione igitur Dominica precibusq; peractis, de Ecclesiæ & magistratus ciuilibus officio, sermonem intulit; ut diceret. Cum Deus ueram religionem incorruptæq; ueritatis doctrinam, tanquam bonum semen hominibus dederit, sine quo nec iusticia, nec uita ipsa constare queat, propagationem eius custodiamq; pijs Doctores Pastoresq; eum credidisse. Itaque Paulum eos doctores & episcopos requirere, qui sint ueritati contra dicentes, ad refellendum instructi; Magistratus uerò, Ecclesiæ Dei nutritios Esaiam diuinum Vatem appellare, non solum ut eam nutriat, sed etiam ut maiorum

lorum

## *Hollandi Historia.*

lorum sint depulsores, synceræq; uindictæ religionis. Vtrisque ad uigilandum esse, ne qua in parte muneri suo defuisse inueniantur, tum quando reddenda erit patrifamilias suæ administrationis ratio. Multa, eaq; grauiâ infligi subinde Ecclesiæ uulnera, quibus sanandis debeant incumbere, & futura cauere: Eam ob causam, tantam multitudinem conuenisse, ut singulare Ecclesiasticæ disciplinæ exemplum spectaret, In medio esse, & coram omnibus stare uiros & mulieres erroris & impietatis in Deum traductos, propter quos actio illa instituta esset, eaq; Cons. & Senatus Basiliensis decreto, cui uisum sit, post longam diligentemq; inquisitionem & reorum confessionem, quia spem de eis non abiicit, ut toti Ecclesiæ publica hac contestatione, satisfiat. Rogare igitur se uniuersos & singulos, ea quæ agenda essent, & agerentur, religiosa animi attentione perciperent.

His

## Davidis Georgij

His dictis errorem, quo de age-  
retur, & impietatem patefacit: origi-  
nem à Catabaptistis ductam esse, Da-  
uide Georgio per inferiorem Germa-  
niam autore & duce. Atq; hoc loco  
capita aliquot eius hæreseos recitan-  
tur, quæ ut ex eius libris partim edi-  
tis, partim manu scriptis, desumpta fu-  
erant, hæc sunt:

1. Omnem doctrinam hæcenus à  
Deo per Mosem, Prophetas, ipsumq;  
Christum Iesum, eiusq; Apostolos ac  
discipulos, traditam, esse mancam, im-  
perfectam et inutilem ad ueram et per-  
fectam consequendam fœlicitatem, atq;  
in eum tantum usum traditam, ut ho-  
mines quasi pueros adolescentesue co-  
erceret ad hoc usq; tempus, atq; in of-  
ficio contineret. Davidis autem Ge-  
orgij doctrinam, perfectam esse atq;  
efficacem ad hominem qui eam sus-  
ceperit, beandum.

2. Asser-



## *Hollandi Historia.*

2. Asserit se uerum Christum & Messiam esse, patris charissimum filium; in quo se oblectet pater; natum non ex carne, sed Spiritu sancto, & spiritu Christi Iesu, qui Spiritus Christi, carne eius in nihilum redacta, quodam in loco sanctis omnibus ignoto, hactenus seruatus, nunc Dauidi Georgio totus est traditus, atque in eius animam infusus.

3. Se igitur eum esse, qui domum Israelis, uerosque Leui filios (nimirum eos qui dogmata sua suscipiunt, eumque sequuntur) una cum uero Dei tabernaculo, sit spiritu instauraturus, non cruce, rebus aduersis, aut morte, quemadmodum ille alter Christus, sed clementia & Spiritus Christi amore & gratia, qui sibi à patre sit datus.

4. Se ea potentia praeditum esse, qua salutem tribuere, & condemnare peccata, remittere & retinere possit. Idcirco

## Davidis Georgij

circo se illum esse qui extremo iudicio  
sit totum mundum iudicaturus.

5. Christum Iesum in hoc à patre  
missum esse, atq; in carnem uenisse, ut  
sua doctrina & sacramentorum cere-  
monijs, homines ueluti pueri & paru-  
uli, nondum perfectæ doctrinæ capa-  
ces, in officio retinerentur, donec Da-  
uid Georgius adesset, qui perfectam  
& efficacem illam doctrinam proferret  
in lucem, quæ homines perfectos red-  
deret, repletetq; cognitione Dei, & filij  
sui Davidis Georgij.

6. Hæc autem omnia non huma-  
no more crasse uè esse peragenda, ut  
olim per Christum Iesum, sed Spiritu  
& absconditè, quæ nemo intelligit, nisi  
qui Davidi Georgio fidem habue-  
rint, eiusq; sequentur institutum.

7. Ad hæc probanda, ut etiam ad  
alia omnia, autoritatibus, & testimo-  
nijs sacrarum literarum abutitur, quasi  
Christus

## *Hollandi Historia.*

Christus & Apostoli non se, & omnia Ecclesiae tempora, sed Dauidis Georgij aduentum illis quae citat profertendis, spectassent.

8. Itaque sic ratiocinatur, Si Apostolorum & Christi doctrina uera illa et perfecta fuisset, Ecclesia quoque quam sua doctrina excitarunt, & formarunt, necessario permansisset, neque perisset, quia aduersus ueram Ecclesiam, ne Orci quidem portae (ut Iesus ipse ait) quicquam ualent. Iam uero constat, Antichristum, Apostolorum doctrinam & structuram funditus euertisse, id quod in papatu euidentis esse ait: ex quo, consequi uult necessario, Apostolorum doctrinam & aedificationem mancam, & imperfectam fuisse, sed eam demum ueram perfectamque esse, quam Dauid Georgius instituit & profert.

9. Ait etiam, se Ioanne Baptista, caeterisque omnibus sanctis, qui olim  
ante

## Davidis Georgij

ante eum extiterunt, excellentiorem esse, quoniam ipse minimus ille sit in regno Dei, de quo Christus ait: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. At qui minimus est in regno Dei maior est illo. Immo ultra etiam progreditur, ut dicat, se, ipso etiam Iesu Christo maiorem, quod hic ex muliere in carnem natus est, se uerò esse Spiritu sancto cœlestem Christum, natum & unctum.

10. Omne peccatum in Patrem & Filium, remitti & condonari asserit, ut Christus ipse testatur, quod autem in Spiritum sanctum, hoc est, in Davidem Georgium commissum fuerit, nunquam neque in hoc neque in altero seculo remittendum. Ex quo satis constare ait, se Christo esse præstantiorem.

11. Matrimonium liberum esse, eoque neminem uni mulieri obstringi, liberorum procreationem communem

## *Hollandi Historia.*

nem esse, ijs qui Davidis Georgij Spi-  
ritu renati sunt. Capita hæc sunt à pa-  
store proposita.

Sunt & alia multa nefanda in Da-  
vidis Georgij libris & operibus: ue-  
rum his paucis gustum tantum lectori  
præbere placuit, alijs consulto suppres-  
sis. His autem ( ut in iudicio publico  
cùm condemnaretur fuerant ) coram  
Davidicis, totaq; Ecclesia lectis, inter-  
rogat Davidicos pastor, num rectè  
perceperint omnia quæ lecta & pro-  
nunciata fuerant, qui cum respondi-  
sent, se optimè omnia percepisse, tum  
subiunxit pastor. Cum igitur ita sit,  
hic piorum & eruditorum in hac Ec-  
clesia & Academia, Ecclesiæq; totius  
præiudicia grauissimasq; sententias nō  
coimmemorabo, quod uobis ignota  
esse non possint, sed uos singulos ap-  
pello, ut hic coram Ecclesia Dei liqui-  
dò & liberè profiteamini, utrum hæc  
D omnia,

## Davidis Georgij

omnia, aut aliquid eorum, aut quicquid eiusmodi farinam redoleat, siue iam prolatum, siue latens, amplectamini, credatis, probetis & tueri parati sitis. Et hic eos admonuit, ut cauerent ne quid reluctante conscientia ullius rei metu responderent, sed omnia candidè, uti sentirent in corde, proferrent. Stare eos coram Deo ipso, qui intima hominis uidet, coramq; eius Ecclesia: ubi mentientes, non homini, sed Deo & Spiritui sancto mentirentur, & scelus inexpiabile committerent. Cogitare eos debere, Deum futurum iudicem & uindicem seuerum, si quouis modo fallere studerent, Porro, si quid scrupuli in ipsorum animis, aut omnium, aut aliquorum, resideret, aut omnino aliquid uerum existimarent, eorum rationes se cum cæteris fratribus & collegis, patienter auditurum, & pia institutione eos edoctrum. Se non esse, qui eos perditos, sed sanatos conseruatofq;

## *Hollandi Historia.*

uatosq; domino maximè cupiant. Itaq; se uelle ex eis audire, quid de singulis singuli sentiant, an potius ea quæ proposita sint, & alia eius sectæ decreta omnia, tanquàm impia, ut sunt, fugienda ac detestanda esse, seq; ea detestari & execrare fateri uelint. Atq; iterum admonet, priusquam respondeant, attentius cogitent secum, & perpendant omnia cum Domini timore, nec quicquam darent hominum gratiæ & auctoritati.

Ad hæc illi respondent, quæ illa summa audiuerint, esse plane impia, & execranda, atq; à Dei Spiritu & institutis prorsus aliena, taliaq; quæ à Christianis omnibus, ut nocentissima pestis, uitentur atq; explodantur. Hæc se candidè & ex animo coram Deo totoq; eius cœtu fateri. Hanc sententiam & singuli ordine rogati, secuti sunt. Fuit etiam inter eos qui diceret, se iam pridem eiusmodi detestatum esse.

D 2      Hoc

## Davidis Georgij

Hoc audito responso, Pastor solum Apostolorum, ut summam Christianæ religionis Davidicis dogmatibus opponeret, proponit. Itaque primum omnium quærit, num credant unum solum Deum æternum, immensæ potentia, infinitæque sapientia, genuisse ab æterno filium unigenitum, pari cum patre potestate, per hunc omnia creasse, Ecclesiam elegisse, constituisse, & gubernare, per eundem, patres illos ueteres, Moysen & Prophetas, Spiritu Sancto illiustratos ueram, solidam, nullaque ex parte mancā salutis ueræ doctrinam tradidisse, quæ nullo modo in Dauidem Georgium ut Christum Dei, & Messiam spectaret. Credant ne filium hunc, uerbum, splendorem, ueramque expressam imaginem Patris, alteram in diuina personam e patris substantia ante secula genitum.

An firmiter teneant, eundem Dei  
patris



## *Hollandi Historia.*

patris uerbum & filium definito tempore corpus ex uirgine, semen Dauidis Iesseidæ uerum assumpsisse, atq; ita diuinam humanamq; naturam coniunxisse, ut Deus & homo sit unâ in eo persona, unus Christus Iesus in omnia laudandus secula.

Credant ne eundem e Spiritu, origineq; cœlesti, non carne tantum, sed Spiritu Dei Virginem foecundante, conceptum, & natum, neq; ullum hoc maiorem aut præstantiorem fuisse, aut esse nunc, aut futurum, ut in quo uno diuinitatis plenitudo ab ipsis origine, & nunc, & in æternum habitat corporaliter. Idcirco impium & nefarium esse, si quis teneat, pleniorē seu efficaciorē diuinitatem, spiritum uē in Christo Dauide Georgio, quam in Iesu Nazareno crucifixo, Dei & hominis filio, huncq; solum esse Messiam & Christum seruatorem, de quo Moses & Prophetæ prædixere, eundem

## Davidis Georgij

solum esse, de quo pater dixit, Hic meus  
us est charissimus filius, quo mihiq;  
placeo.

An non etiam persuasum habeant,  
hunc Iesum summi, ueri, æterniq;  
sacerdotis munere perfunctum, doctrinam  
nam ex Patris sui uoluntate absolutissimam,  
uitæ sempiternæ uerbum quod  
fide amplectentes, perfecte beet, & seruet  
in æternum: Itaq; scelestum esse,  
dicere, quod David Georgius fecit,  
Christum, eiusq; Apostolos imperfectam  
& mancam, pueriliq; ætati accommodatam  
tantum, sapientiam tradidisse.

Eundem uere quidem mortuum,  
attamen carnem corpusq; ipsius  
non euanuisse, seu in nihilum interisse:  
sed seipsum patri suauissimam hostiam  
exhibuisse, ad expianda mundi peccata,  
& sanguinem fudisse suum, quo  
credentes obsignaret, & sanctificaret.

Hoc

## *Hollandi Historia.*

Hoc crucis Christi fundamento,  
niti ueri Israël's Ecclesiam, quæ & ipsa  
magistri sui uestigia sequens, sub cruce  
ce gemit, probatur, & confirmatur,  
idq; tam diu quam diu in mundo est.  
Quemadmodum Dominus ipse docet  
cum ait: Qui uult me sequi, tollat cruce  
m suam. Item eius uerus discipulus  
Paulus. Qui uolunt piè in Christo uis  
tam agere, calamitates patientur.

Proinde sentiant ne uanum & nau  
gatorium esse, quod David Georgius  
tradit, uerum Dei tabernaculum &  
Ecclesiam in hac uita sine cruce & cala  
mitatib. esse constituendã, ijs qui Da  
uidis Georgij Spiritu præditi fuerint.

Fateantur ne ex animo, Christum  
Iesum tertã die à morte, cum suo uero  
corpore, quod ex Virgine natum, in  
Cruce pependit, & sepulchro condi  
tum fuit, uerè excitatum esse, non Spi  
ritum tantum & mysticè, ut David  
Georgius affirmat.

D 4

An

## Davidis Georgij

An uelint firma persuasione confiteri Christum Iesum Deum & hominem uerum, die quadragesimo postquam è sepulchro excitatus est, sublatum super omnes cœlos, ad Dei patris dextram confedere, solum regum regem, & dominatorum dominum super omnia, ac præter eum neminem, neq; in cœlis, neq; in terris, regnare & dominari.

Eundem ipsum, Cœleste in hoc mundo Regnum habere, sed non ex hoc mundo, quod regnum uerbo, sacris Symbolis, & spiritu administrat, & regit.

Hunc solum proprio iure, natura & officij prærogatiua, potestatem habere remittendi retinendique peccata, quæ in Dauide Georgio nullo modo sit.

Hunc ipsum uenturum esse ad iudicandum uiuos & mortuos, cui soli pater omne iudicium tradidit, ad cuius tribunal

## *Hollandi Historia.*

tribunal omnes mortales sistendi sint, ipseque David Georgius causam dicturus coram ipso, atque eius grauissimam sententiam uelit nolit auditurus sit, tametsi impiè sibi hanc uniuersalem iudicij potestatem ausus sit arrogare.

Credant ne Spiritum sanctum tertiam in diuinis personam ab æterno patre filioque procedentem, quo Spiritu patris & filij, non Davidis Georgij omnia uitam capiunt: filij Dei regenerantur luce eius uitali imbuuntur, obsignantur, & ad salutem consecrantur.

Num confiteri uelint, unitatem diuinitatis in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum, in unitate substantiæ, uenerandam & adorandam, sicut Athanasius docet.

Tenere uelint & fateri, peccatum in Spiritum sanctum esse, quum patefactæ agnitæque per Spiritum, ueritati, studio & pertinacis animi proposito, repugnatur, eodemque malitioso

D S infesta

## Davidis Georgij

infestatur, nullo autem modo peccatum in Spiritum sanctum esse, in Davidem Georgium aut eius Spiritum peccare.

Sola nos fide in Christum Iesum iustificari, ut vitam æternam gratia, non meritis & benefactis, consequamur, Neque in Davidem Georgium aut ullam creaturam credendum esse. Spiritum sanctum ita per Apostolos locutum, ut eorum doctrina non modo omnis erroris sit expers, verum etiam lux quædam perfectæ in Christo doctrinæ, cuius auscultatione & lectione, Ecclesia pasci debeat, ut qui ei imperfectionem tribuat, is in Christum Iesum, eiusque Spiritum letaliter delinquat.

Vnam esse Catholicam, quæ unum caput & dominum agnoscit Iesum Christum crucifixum, nunc ad Patris dextram regnantem, quæ per ipsum Mediatorem, preces suas ad Deum  
fune

## *Hollandi Historia.*

fundit, eius solius doctrinam audit, sacramentis utitur, eius institutione spiritūque gubernatur. Quare, quicumque alius se Christo ostentat, uerum Christi munus sibi arrogare sacrilegus audet, eum Antichristum esse affirmat, & execratur.

Vt extra Iesu Christi nomen nulla salus est: sic extra eius nomen agnoscentem, prædicantem, & sequentem nullam ecclesiam esse, nullam salutem.

In hac una Ecclesia remitti peccata per Christum Iesum, non per Dauidem Georgium, credentibus quandoquidem, alioqui omnes sint impuri, iracundi filij, ac proinde morti obnoxij.

Firmiterne credant, huius nostræ carnis & corporis ueram, certam, minimeque allegoricam resurrectionem fore, non aliquorum, sed omnium hominum qui fuerunt, aut usque in diem illum futuri sunt, ubi uox filij DEI IESU Christi, & tubæ Dei sonus est  
cælo,

## Davidis Georgij

coelo, in extremo die audita fuerint, ut ipse filius Dei affirmat.

Malos Spiritus non homines tantum esse, sed Diabolum cum suis ministris, qui à Deo catenis potentiae Dei uincti ad supplicium reseruantur. Angelos uerò bonos, Spiritus & ipsos esse, Dei ministros, qui mittuntur à Deo ut ijs ministrent, qui salutis sunt haereditatem adituri.

Spiritum sanctum ut promisit Christus Iesus, quotidie dari credentibus, ut mysterium salutis in Christo Iesu cognoscatur, & apprehendatur ad uitam, non in angulo conseruatum, usq; ad haec tempora, ut in unum Dauidem Georgium sese insinuaret, ut ipse mentitus est.

An non credant, coniugij uinculum, quod ex duobus unum facit, diuinitus in paradiso institutum, deinde Mosis lege, & Christi Iesu auctoritate confirmatum, sacro sanctum esse, idcirco



## *Hollandi Historia.*

idcirco perperam asseri, in statu quorū  
dam perfectiori, quem David Geor-  
gius somniauit, eius iura, & religio-  
nem solutum iri.

Postremò, num doctrinam, quam  
Basileæ hactenus in concionibus aus-  
dissent, & Basiliensis Ecclesiæ fidei for-  
mulam amplecterentur, in eaq; acqui-  
escerent.

Vbi hæc & alia quædam pro-  
nunciasset Pastor, quærit ab eis an om-  
nia quæ proposuisset, rectè intellexe-  
rint, qui ubi se probè intellexisse affir-  
marent, iterum eos admonet, apud se  
diligentiùs cogitent & reputent, prius-  
quam respondeant, ne multitudinì  
placere studeant, secusq; quam senti-  
ant, aliquid fateantur. Corde enim  
credi ad iusticiam, oris autem confes-  
sionem fieri ad salutem. Itaq; se roga-  
re, nihil cælent, sed liberè animi sui sen-  
tentiam proferant. Si qua in re ambi-  
gant, modestè quærant, se omnibus ut  
satis

## Davidis Georgij

satisfaciat, conaturum. Hic inter alios unus respondebat, hæc esse capita ueræ & synceræ religionis, seq̃ non solū hoc ore confiteri, sed etiam ex animo credere, & hac se fide certissimè credere seruatum iri. Reliqui omnes in eius sententiam ierunt, idemq̃ se credere asseruerunt. Alius item ex ipsorum numero inquit, se nunquam aliter credidisse, nec Christianum esse qui aliter credat. Deinde Pastor, quia impia cōdemnastis inquit, & ueram religionem confessi estis, superest, ut cum noueritis ex hac secta horribilem offensionem, nostræ Ecclesiæ & alijs quam plurimis, oblatam esse, cumq̃ tres uestrum in custodia confessi sitis, uos falsa opinione deceptos errasse, & reliqui, ut uel sanguine, uel affinitate, uel familiaritate coniuncti eidem consortio impliciti fueritis, requiro, ut si libeat, priorum omnium delictorum à Deo æterno patre, per Iesum Christum unicum

cum

## *Hollandi Historia.*

cum mediatorem filium Dei Dominum nostrum, pietatis gratiam & misericordiam omnes, & insuper ueniam ab Ecclesia quam offendistis, supplices postuletis, quo inseri denuo in Christi corpus & in Ecclesiae sinum recipi queatis.

His prolatis, omnes simul in genua procumbunt, Orat unus eorum sublatis manibus Deum patrem per Iesum Christum, quum eius promissiones doceant, ipsum nolle mortem peccatoris, sed salutem & uitam, per fidem ad ipsum conuersionem, se suppliciter toto cordis affectu precari, ut condonet omnem offensam, & Ecclesiam, quae Christum refert sponsum, se & alios rogare, ut uelit clementer ipsos suscipere, gratias interim agendo, pro immensis erga se beneficijs, pastores item, hoc est, patres Ecclesiae, ut Christi seruos rogauit, ut ipsis ignoscerent, & orationibus suis eos Deo commenda-

## Davidis Georgij

commendarent, quo in uera fide Christi fundati, persistere usque ad finem possint. Eadem & reliqui sentire & petere uerbis, nutu gestibusque testabantur. Hac oratione finita, Pastor inquit, Non dubium esse, quin, siquidem ex fide petant, apertum sit Gratiae Dei ostium, nec Ecclesiam fore erga poenitentes supplicesque difficilem, reliquum esse, ut contestatione promitterent, idque ipsi Deo per Iesum Christum & Ecclesiae eius, in manum Censoris Ecclesiastici, & suam se deinceps religionem, quam coram eo coetu professi sint, ueram & Catholicam, religiosè & sanctè seruaturus, & professuros, & quocumque possint studio, quae uigilantia & fide, propagaturos. Deinde omnem falsam doctrinam & hanc Davidicam, ceu pestem nocentissimam uitaturos, reiecturos, & damnaturos. Eandem quoque, si quibus inscriptis extare nouerint, eiusmodi uenena redolentibus

hic

## *Hollandi Historia.*

hic aut alibi, abolituros, tum hac impietate infectos homines sic ubi intellexerint, sanatuos pro ipsorum uirili & in uiam reuocatuos, idq; si promittant iureiurando conceptis uerbis præstito, & perfidè aliquando egerint, ( quod Deus auertat ) manum Dei uindicem habituros. Sin uerò fideliter seruauerint omnia, paratam Dei gratiam & misericordiam. Porrigunt linguæ dexteram, primum censori, deinde pastori, His absolutis, pastor, ut seruus Iesu Christi & Ecclesiæ eius minister, Hac professione facta, inquit, quæ ex animo esse profectam, sibi ex charitatis lege instinctuq; præsumat, gratiam & remissionem peccatorum omnium eis annunciare, & post hanc uitam æternam, in nomine indiuiduæ Trinitatis patris & filij, & Spiritus sancti, idemq; eos in Ecclesiæ societatem & consueti amoris uinculum eiusdem nomine recipere, quod foelix & faustū

E esse

## Davidis Georgij

esse uelit, qui sibi hanc suo sanguine  
acquisiuit. Adhortatur præterea ip-  
sos, meminerint, quid eo die factum  
sit, cogitentq; non sine singulari Dei  
prouidentia & misericordia in eum lo-  
cum actumq; deductos, ut saluti nimia-  
rum ipsorum consuleretur. Propterea  
gratias agere debere Deo Patri per do-  
minum Iesum Christum, Magistratui  
item religiosissimo huius Ciuitatis Bas-  
siliensis, cuius sint clementiam non  
uulgarem experti, dum clementer cõ-  
seruantur; Ecclesiæ quoq; Basiliensi,  
& eius ministris quod charitatis uisce-  
ra erga eos, tam humaniter declararint.

Deinde meminerint, ante omnia sibi  
ad uigilandum esse in uerbi Domini,  
sacrorumq; symbolorum frequenti usu  
& orationibus ardentibus assiduisq;  
quo per uirtutem Spiritus Christi Iesu  
ab omni errore & impietate conserva-  
uentur, eorumq; actiones & studia in  
rectam

## *Hollandi Historia.*

rectam uiam ueritatis, ad ipsius nominis gloriam, dirigantur.

Adhæc, ut religiosè omnes seductionum occasiones uitent, tum ne patefaciant per uitæ impuritatem Sathanæ fenestram ad quæuis offendicula, id quod in non paucis nostris temporis hominibus peruersæ mentis deprehensum sit, qui ab erroribus & uana conuersatione liberati, postea in luxus profusionem, uitamq; epicuream delapsi sunt. Et quia hætenus in ipsis animaduersum sit pacis studium, benignitatis in pauperes, conuictus ab ebrietate, & sermo à deiectionibus & obscœnitate alienus, idem ut deinceps præstare pergant, sicut deceat, eos qui Christum profitentur. In summa, dent operam, Spiritu, anima, & corpore ut inculpati seruentur in diem Christi, sic enim futurum, ut unius hac luce uitæ puritate

## Davidis Georgij

ritateq; tanto efficacius, citiusq; sanetur. Postremò ad Ecclesiam totam, conuertit orationem: Ac, uos omnes, inquit, Charissimi in Christo, animaduertistis facile, quid & quomodo hoc loco et tempore actum sit cum his presentibus fratribus, idq; pro ea ratione, quam Christus Ecclesiae commenda-uit, ut haudquaquam prophanum sed religiosum & sanctum extitisse hunc actum existimare debeatis.

Quocirca non solum religiosis animis uos haecenus auscultasse spero, uerum etiam nunc quid uestri sit officij cogitare. Nam & nostri causa haec omnia acta sunt. Sumus enim omnes ex eadem massa conflati, & nostram in perniciem aestuat diabolus, qui etiam inter filios Dei reperitur, maxima meq; in eos fertur infestus. Idcirco memores esse debemus dicti Christi: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, tum quod modo his fratribus  
incul



## Hollandi Historia.

inculcaui, uobis commendatissimum  
esse cupio quo profligata in peccatis  
securitate, & scelerum dominatu, uos  
animi submissione & reuerentia uobis  
Euangelici salutiferiq; uerbi patefacti,  
& pietatem illibatam Domino appro-  
bare insistatis, & amplecti filium ætera-  
num & unicum liberatorem nostrum,  
ne breui exardescat ira eius in nos, ut  
contra contumaces & ingratos, & pro  
incorrupta ueritate, seductio ecclesiam  
inuadat, aut eosmet singulos inficiat.  
Vlcisci namq; Dominus solet ingrati  
animi pertinaciam, ut Christus, Apo-  
stoli, & exempla, cum uetera, tum re-  
centia, docent. Deinde quum suppli-  
ces hos præsentis fratres uideritis ipsi,  
haudquaquam pertinaces erroris sui  
assertores, & eosdem non solum pieta-  
tis syncerae, fideiq; capita nobiscum  
professos, sed insuper contrarias do-  
ctrinas detestatos esse & abiurasse, su-  
perest, ne quis uestrum ipso Christo,

## Davidis Georgij

Apostolis, & uera Ecclesia Dei durior esse uelit, sed eos, posita offensionis memoria ut fratres & sorores, Christiana charitate complectamini, officijs fouere, ac tueri in Domino studeatis. Nam, qui stat, inquit Paulus, uideat ne cadat, cogitet quisq; labi, aberrare, & decipi, esse humanum, & ut (Augustinus testatur) nunquam errare angelicum, perseverare autem in errore, diabolicum.

Sic enim Exemplum seruatoris Christi referetis, & Ecclesiam plurimū promouebitis, si charitatem & mansuetudinem Christi ouibus dignam, declaraueritis. Hæc & alia plura in eam sententiam cum dixisset oratione Dominica precari iterum iussit, & actionem, bene eis precando, clausit. Benefaciat uobis Deus, & custodiat uos. Illuminet Dominus faciem suam super uos, & misereatur uestri, ut pacem

cem

*Hollandi Historia.*

cem animi cum Deo, pacem cum sanctis eius habeatis, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui uiuit & regnat cum Deo patre & Spiritu sancto, in omnem æternitatem. Amen.  
Inde cantatum est ab Ecclesia Symbolum Apostolicum & in pace dimissus cœtus.

*DAUIDICÆ HISTORIÆ  
finis.*

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of handwritten text, appearing to be a list or a series of entries.

QVANTITATE HISTORICAE

the end







Ja 730

17168

ULB Halle

3

005 390 63X



NC







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

DAVIDIS GEORGII HOLLANDI  
HÆRESIARCHÆ  
vita & Doctrina. Quandiu Basileæ  
fuit: tum quid post eius mortem, cum  
cadavere, libris, ac reliqua eius  
familia actum sit.

PER RECTO-  
REM ET ACADEMI-  
am Basiliens. in gratiam Amplis-  
simi Senatus eius Urbis  
conscripta.

VVITTEBERGÆ  
Excudebant Hæredes Geo-  
orgij Rhau.

1559.

Op. 46